Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1151
Quelle:
Copyright:

XIX. *fol.* 49. *Item Omel. de epiphania.* Initium: *Dies epiphaniorum greco nomine ſic uocatur. Quod enim nos apparicionem* &c. *Auguſtino* olim, *Ambroſio*que etiam tributus legitur in *Append.* mox dicta *col.* 246.

XX. *fol.* 50. p. 2. *Sermo Sancti Hieronimi in Cathedra Sancti Petri.* Initium: *Uenit dominus ibeſus in partes ceſareę philipi. Philipus iſte eſt frater herodis de quo ſupra diximus* &c. Legitur *Commentarior. in Matth.* L. III. eſtque Expoſitio C. XVI. v. 13 — 17. in edit. *Vallarſ.* T. VII. *col.* 121. ſed hic prave ſcripta. V. 13. pro *Juliadem* eſt *Libiadem* ſ. Liviadem

XXI. *fol.* 52. *Incipit Sermo Sancti Aguſtini epiſcopi de exordio Quadraginſi* (ita). Initium: *Moyſes quadraginta diebus et quadraginta noctibus in heremo ieiunauit. ut legem dei mereretur accipere* &c. Inter ſpurios extat *Auguſtini* T. V. *Append. col.* 255. verum ibi Periodi duae praecedunt.

XXII. *fol.* 53. *Sermo de Jeiunio Quadrageſimali.* Initium: *Jam dies ieiunii fratres kariſſimi dies obſecrationis et ut manifeſtius dicam paenitentiae nobis tempus aduenit. Omnes debemus agere paenitentiam quia omnes errauimus. Nam ſi ſcripturae teſtimonio nec unius diei infans mundus eſt. quis ſe inmunem audebit aſſerere et paenitentiae remedia refutare quae etiam ſanctis intellegit profuiſſe* &c. Hinc ad jejunium digreditur, atque inde ad Mulieris peccatricis Chriſti pedes lavantis et ungentis hiſtoriam, in cujus allegorica expoſitione *os* Chriſti Paulus, *Manus* Chriſti Apoſtoli, *Scapulae* Martyres, *Pedes* Peccatores ſunt. Finis: *Et ideo FF. plus diligamus. quia plus dimiſſum eſt nobis et plura praeſtemus quia plura ſumus a domino conſecuturi. Preſtante ipſo qui uiuit* &c. In Sermonem hunc non memini apud ullum Patrem me incidere.

XXIII. *fol.* 55. *Omelia de Caena Domini.* Incipit: *Hodie fratres kariſſimi audituri ſumus euangeliſtam dicentem. Quia cum ſurrexiſſet a caena dominus* &c. Cento variorum et inter *Auguſtini* ſpurias T. V. *Append. col.* 262. Sed in *Cod.* noſtro poſt ea verba: *ſed etiam peccata capitalia purgamus*, alia ſuccedit Exhortatio de Conviviis paſchali tempore moderandis, Neophytis, qui et *Albati* dicuntur, ad intemperantiam non provocandis, et Caſtitate usque ad finem paſchae conſervanda, hoc initio: *Ecce fratres dilectiſſimi iam deo propitio dies remiſſionis in proximo ſunt* &c. et fine: *ſed ad remedium animæ ueſtrae poſſitis conſcientia ſecura ſuſcipere. Quod ipſe praeſtare* &c. Neque hanc laciniam ullibi reperio.

XXIV. *fol.* 57. *Omel. de Paſſione Domini.* Initium: *Dilectiſſimi fratres. dominus noſter ibeſus chriſtus nobis ſalutem exibuit. diuinae uero naturae nihil minuit* &c. A *Maurianis* in *Mſs.* fruſtra quaeſita, inter *Auguſtino* ſubpo-

ſitas